

2007-01-25 – PA - Speciales conceduntur Indulgentiae christifidelibus

Cum in originale peccatum incidisset homo, et ob hanc ipsam causam donis se expoliasset sive supernaturalibus sive praeternaturalibus, infinita sua misericordia, Deus Creator et Redemptor ita ea quae iustitia postulat et ea quae veniam conciliant, mysterioso coniunxit nexus, ut mala, quae rationem habent poenae, bona fierent occasio ad offerendam peccatorum expiationem, ad augendas virtutes, ad aeternam comparandam salutem; quae Divinae Providentiae dispositio reapse fidelibus applicatur virtute mysterii Paschalis Christi, qui moriens factus est largitor vitae et resurgens certissimam spem affert nostrae futurae Resurrectionis.

Age vero, condicio illa qua homo morbis est subiectus, et doloribus inde manantibus, si quidem Fide, Spe et Caritate operantibus, prout in divina sanctissima voluntate continetur, accipitur, causa fit maioris sanctitatis.

Illud vero peculiarissima ratione meditandum est, humana remedia limitibus esse signata, et exinde tempus necessario advenire in quo terrestris itineris humanae vitae finis urget: huiusmodi aegrotis maxima sunt impendendae curae, summa est exhibenda caritas, unde transitus ex hoc mundo ad Patrem divinis solaciis iuvetur, et ita revera - prout Ecclesiae oratio pro morientibus fert - mitis Iesu Christi vultus appareat infirmis et vox Eius, ad gloriam et laetitiam aeternam vocantis, clarissime resonet.

Quod quidem Mater Ecclesia considerans, annuam «Mundialis Infirmorum Diei» celebrationem percupit fieri veluti efficacem catechesim circa recensitam thesauri Revelationis doctrinam de pretio et momento doloris.

Ut autem christifideles, qui memoratae intererunt celebrationi, proxima die XI Februarii, in liturgica scilicet memoria B. Mariae Virg. Lapurdensis, in urbe Seulensi habendae, magis magisque sacris his sensibus sese conforment, Beatissimus Pater Indulgenteriarum dono illam ditare decrevit, prout in sequentibus determinate exponitur.

Plenaria conceditur *Indulgencia*, suetis condicionibus (sacramentalis Confessionis, eucharisticae Communionis et orationis ad mentem Summi Pontificis) rite adimpleatis, animo quidem omnino elongato ab affectu erga quocumque peccatum, christifidelibus die XI Februarii huius anni lucranda, si sacro cui ritui, ad «XV Mundialis Infirmorum Diei» fines a Deo impetrandos celebrato, vel in urbe Seulensi vel in quocumque alio loco, ab ecclesiastica auctoritate determinato, devote interfuerint.

Christifideles vero qui, vel in publicis nosocomiis vel in privata aliqua domo, ut «boni Samaritani» aegrotantium misericordi sollicitudine curam agunt, illorum praesertim qui incurabiles seu in propinqua morte sunt, et huiusmodi munieris explendi causa supradicto sacro ritui interesse nequeunt, eiusdem tamen *plenariae Indulgentiae donum* consequentur, si illud caritatis servitum, veluti ipsi Christo Domino persolutum (cf. Mt 25, 40), generose saltem per aliquot horas dicta die expleverint, eadem animi dispositione habita et proposito concepto quam primum perficiendi condiciones ad plenariam obtinendam Indulgenciam requisitas.

Christifideles qui infirmitate, senectute vel alia huiusmodi causa, impediuntur quominus ritui ut supra celebrando interesse possint, *plenariam* consequentur *Indulgenciam*, si, elongato animo a quocumque peccato et concepto proposito suetas condiciones, cum primum eis possibile erit, adimplendi, illa die sese in spiritu et desiderio una cum Summo Pontifice dictae celebrationi univerint, et sui corporis infirmitates animique aegritudines Deo per Deiparam Virginem Mariam, «Salutem infirmorum», obtulerint.

Denique *partialis* conceditur *Indulgencia*, omnibus christifidelibus, a die IX usque ad diem XI proximi mensis Februarii corde saltem contrito assequenda, quoties devotas Misericordi Deo preces fuderint, ad supradictos fines in adiutorium infirmorum implorandos, in primis incurabilium vel fini vitae appropinquantium.

Praesenti hac vice valituro. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XXV Ianuarii MMVII, in Conversione S. Pauli, Apostoli.

IACOBUS FRANCISCUS S. R. E. Card. STAFFORD
Paenitentiarius Maior

Ioannes Franciscus Girotti, O. F. M. Conv.
Ep. Tit. Metensis, *Regens*